

in libras asses xl. Sphagnos infra eos situs in Cyrenai-
ca prouincia maxime probatur. Alij bryon vocant.
Secundum locum obtinet Cyprius, tertium Phoenicius.
Fertur & in Aegypto nasci: quin & in Gallia, nec
dubitauerim. Sūt enim hoc nomine cani arborū villi,
quales in quercu maxime videmus, sed odore praestan-
tes. Laus prima candidissimis atq; altissimis, secunda
rutilis, nulla nigris. Et ī insulis petrisq; nati improba-
tur, omnesq; quibus palmarū atq; non suus odor sit.
Decypro, & aspalatho, & maro. CAP. XXIIII.

Cyprius in Aegypto est arbor ziziphi folijs, se-
mine coriandri, flore candido odorato. Coqui-
tur hoc ī oleo, premiturq; postea quod Cyprus
vocatur. Pretiū ei in libras quinq;. Optimū habetur
ē Canopica in ripis Nili nata, secundum Ascalone Iu-
dæa, tertium Cypro insula odoris suauitate. Quidam
hanc esse dicunt arborem quæ in Italia ligustrum vo-
cetur. In eodem tractu aspalathos nascitur, spina can-
dida, magnitudine arboris modica, flore rosæ. Radix
vnguentis expetitur. Tradunt in quocūq; frutice cur-
uetur arquis caelestis, eandem quæ sit aspalatho, sua-
uitatē odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem
quādam. Quidā eum Erysi sceptrū vocāt, alij sceptrū:
probatio eius in colore ruffo vel igneo, tactuq; spisso,
& odore castoreo. Permutatur in libras xv. In Aegy-
pto nascitur & maron, peius q̄ Lydium, maioribus
folijs ac varijs illa breuia ac minuta & odorata.

De balsamo, & opobalsamo, et xylobalsamo,
& styrace, & galbano. CAP. XXV.

Sed omnibus odoribus praefertur balsamum, vni
terræ Iudæa cōcessum, quondam in duobus tantū
hortis vtroq; regio, altero iugerum xx. non am-
plius, altero pauciorum. ostendere arbusculam hanc
vrbi imperatores vespasiani. Clarumq; dictū à Pom-
peio Magno in triūpho arbores quoq; duximus. Ser-
uit nunc hæc, & tributa pendit cum sua gente, in to-
tum alia natura quā nostrī externiq; prodiderant.
Quippe viti similior est quā myrto. Malleolis seri di-
citur, nuper vincēta vt vitis: & implet colles vinearū
modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinēt. Tondetur
similiter fruticās, ac rastris nitescit: properatq; nasci,
intra tertium annum fructifera. Folium proximū ru-
tæ, perpetua coma. Seniere in eandē Iudæi, sicut in vi-
tam quoq; suā. Contra defendere Romani, & dimica-
tum pro frutice est. Seritq; nunc eā fiscus: nec vnquā
fuit numerosior aut procerior. Proceritas intra bina
cubita subsistit. Arbori tria genera. Tenui & capil-
lacea coma, quod vocāt eutheriston. Alterum scabro
aspectu, incuruum, fruticosum, odoratius: hoc trachy
appellāt. Tertium eumeces, quia est reliquis procerius,
leui cortice. Huic secunda bonitas: nouissima eutheri-
sto. Semen eius vino proximum gustu, colore ruffum,
nec sine pingui: peius in grano quod leuius atq; viri-
dius. Ramus crassior quā myrto. Inciditur vitro, la-
pide, ossisue cultellis. Ferro ladi vitalia odit. Emori-
tur protinus, eadem amputari superuacua paties. In-

cidētis manus libratur artificī temperamēto, ne quid
vltra corticem violet. Succus ē plaga manat, quē opo
balsamum vocant, suauitatis eximæ, sed tenui gutta,
ploratu lanis parua colligitur in cornua. Ex ijs nouo
fctili conditur crassiori similis oleo, & in musto can-
dida. Rubescit deinde, simulq; durefcit ē translucido.
Alexandro magno res ibi gerente, toto die aestiuo
vnam concham impleri iustum erat. Omni vero sæ-
cunditate ē maiore horto congios senos, minore singu-
los, cum duplo rependebatur argēto. Nunc etiā singu-
larum arborū largior vena, ter omnibus percutitur
aestatibus, postea deputatur. Et sarmēta quoq; in mer-
ce sunt. d. ccc. amputatio ipsa surculusque venit intra
quintum demum annum, Xylobalsamum vocatur, &
coquitur in vnguētis. Pro succo ipsum substituere offi-
cinæ. Corticis etiam ad medicamenta pretiū est. Pre-
cipua aut gratia lacrymæ, secunda semini, tertia cor-
tici, minima ligno. Ex hoc buxosum est optimū, quod
est odoratissimum: ē semine autem maximum & pon-
derosissimum, mordens gustu, feruensq; in ore. Adul-
teratur Petræo hyperico, quod coarguitur magnitu-
dine, inanitate, longitudine, odoris ignauia, sapore pi-
peris. Lacrymæ probatio vt sit pinguis, tenuis, ac mo-
dice ruffa, & in fricando odorata. Secundus candido
colos, peior viridis crassusq; pessimus niger. Quippe
vt oleū senescit. Ex omni incisura maxime probatur
quod ante semen fluxit. Et alias adulteratur semine
suo, vixq; maleficium depræhēditur gustu amariorē.
Esse enim debet lenis, non subacidus, odore tantum au-
sterus. Vitiatur & oleo rosæ, cyperi, lentisci, balani,
terebinthi, myrri, resina, galbano, cera Cypria, prout
quæq; res fuit. Nequissime aut gummi, quoniā ipsum
quoq; inharescit manu inuersa, & in aqua sidit: quæ
probatio eius gemina est. Debet syncerum & inhaere-
scere, sed hoc & gummi addita fragili crusta euenit.
Et gustu depræhenditur. Carbone vero, quod cera re-
sinaq; adulteratū est, nigriori flāma. Nam melle mu-
tatum statim contrahit muscas. Præterea synceri den-
satur in tepida aqua gutta sidens ad ima vasis: adulte-
rata olei modo innatat, & si metopio vitiata est circu-
lo cādido cingitur. Sūma probatio ē vt lac coagulet,
& in veste maculas non faciat, nec manifestior alibi
fraus. Quippe millibus denarium sextarij empti, ven-
dente fisco ccc. denarijs veneunt. In tantū expedit au-
gere liquorem. Xylobalsamo pretiū in libras vi. Pro-
xima Iudæa Syria supra Phœnicem styracem gignit,
circa Gabala & Marathūta & Casiū Seleucia mon-
tem. Arbor est eodem nomine, cotoneo malo similis,
lacrymæ ex austero iucundioris, intus similitudo ha-
rundinis, succoq; prægnans. In hanc circa canis ortū
aduolant pennati vermiculi erodentes, ob id in sco-
be fordescit. Styrax laudatur post supradicta ex Pi-
sidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta minime. Ex A-
mano Syriae medicis, sed vnguentarijs magis. Colos
in quacunque natione praefertur ruffus, & pingui-
ter lentus: deterior furfurosus, et cano situ obductus.
Adulte-